



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 68. Ximenii contentio cum quodam Franciscano Oranensem
Episcopatum ambiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. attribuit. Denique, postquam Oranum
A. C. 1509. sua opera in Regis potestatem rede-
 gisset, ipsumque Christianorum exercitum tan-
 topere auxisset, ut victoriarum cursum
 ad ultiores Africæ oras protendere fa-
 cile posset, ipse gloriæ suæ, ac vi-
 ctoriis finem posuit, & die vigesima ter-
 tia Maji in Hispaniam conscensa navi re-
 diit tam secundo usus vento, ut eodem
 die Carthaginem appelleretur, ubi binas
 a Rege accepit literas, quibus ad aulam
 invitabatur, ut ob præclara, quæ tam
 Regno quam Religioni præstitit, obsequia
 debitos quoque honores reciperet. Ast
 Ximenius Regi Catholico pro sua in
 eum benevolentia gratias agens, id unum
 efflagitabat, ut ad vires refocillandas,
 Complutum petere permetteretur, ubi
 paulopost adveniens, non modo solemnem
 ingressum, sed etiam officiosas gratula-
 tiones penitus recusabat, palam omnibus
 professus, hujus victoriæ gloriam non
 tam suæ sollicitudini, quam Numinis cle-
 mentiæ, ac militum fortitudini potissi-
 mum in acceptis referendam.

§. LXVIII.

*Ximenii contentio cum quodam Fran-
 ciscano Oranensem Episcopatum
 ambiente.*

Allicot post annis quidam Ordinis S.
 Fran-

Francisci Alumnus renunciatus erat Episcopus ut vocant *in partibus* sub titulo Episcopi Aurenfis; cum autem hic titulus nullos ei proventus afferret, inani Episcopatus nomine haud ultra contentus, Oranensem Ecclesiam hoc titulo indicari prætendit. Stimulabant Viri ambitionem dignitates, quæ Toletanæ Sedi annexæ erant, atque opulenti, quibus eadem abundabat, redditus, cumque Ximinius eidem Ecclesiæ Oranum in spiritualibus subijci, novamque dignitatem ad perpetuam victoriæ memoriam stabiliri cuperet, Franciscanus hujus spei amplitudine deceptus, primo sese Orani Episcopum nuncupari, dein Ximenio nunciari præcepit, ut deinceps a Spirituali hujus urbis regimine abstineret: Cum autem Cardinalis ab injustitiæ umbra longe abhorreret, hac super re peritissimorum Præsulum sententiam rogabat; verum una omnes in eam sententiam abiire, quod nullo unquam tempore Oranum Episcopali Sede inclytum fuerit, idque etiam ex veteribus monumentis demonstratum ibant, eoquod Aura magis versus Orientem, longius vero ab Orano semota a Carthaginensi Provincia dependeat, cum tamen ex adverso Oranum, totumque illius territorium, quin etiam circumvicinæ urbes Tingitanæ Provinciæ finibus circumscribantur. Non

Sæcul. XVI.
A. C. 1509.

Gomez in
vita Xim. l. 4.
Marian. l. 29
n. 80.

Sæcul. XVI
A. C. 1509.

placuit Monacho horum iudicium; hinc ipse recta Regem supplex adiit, a quo etiam literas accepit, quibus Ximenius supplicantis voto satisfacere rogabatur. Nihilominus Cardinalis cum hanc causam ad summum Pontificem deferri, ac operosius tractari pertimesceret, præfato Franciscano proposuit, Orani Collegiatam Ecclesiam esse construendam, ejusque primam dignitatem unacum Abbatibus titulo, ac pinqui pensione eidem conferendam; cum vero is oblata acceptare renueret, Ximenius ea antiquitatis monumenta, in quæ inquire jusserat, Regi exposuit, atque supplicavit, ut res in eo statu, quem antea habuerat, permaneret, idque Regi gratum, ratumque esset. Annuit Ferdinandus, nec ultra huic negotio sese ingerere voluit; idcirco prætentum illum Orani Episcopum, quod oblatam sibi a Cardinale compositionem acceptare recusasset, sera nimis poenitentia subiit.

§. LXIX.

Maurorum classis a Lusitano Rege profligata.

Ser. Osor.
hist. Eman.
Maff. hist.
Indic.

Inter hæc Franciscus Almaida Indiarum Pro-Rex tum adversa Lusitanorum fortuna, tum Laurentii de Almaida Filii sui morte commotus omnes, quotquot colli-